

cum Israelitis non curavit, imo quos ore laudarat, malo consilio perditum ibat. Nuper etiam quidam princeps hæreticus aut potius politicus, bonæ tamen indolis et ingenii, rogatus quid de catholicis et Calvinistis sentiret, utrorum fides esse verior, respondit argute: *Se malle vivere cum Calvinistis, sed mori cum catholicis, quod horum mors sit lætior et securior, illorum vita sit licentior et voluptuosior*, ut refert Corn. a Lapid. in cap. XXIII. Num. Verum sanius et suæ salutis congruentius dixisset: Quando quidem malo mori cum catholicis, malo et cum iis vivere, bona enim mors a bona vita pendet, et impossibile est eum, qui hæretice aut male vixit, bene et feliciter mori. Prudentius etiam Balaam dixisset: Vivat anima mea vita iustorum, ut moriatur morte iustorum. Qui enim vivit vita piorum certo morietur morte piorum, et qui vivit vita impiorum, certo morietur morte impiorum. Non desunt etiam inter catholicos, qui desiderant mori cum catholicis et iustis, sed interim nolunt vivere cum catholicis, jejunare, sacramenta frequentare, etc. Qui tandem aliquando sera nimis desideria frustra concipient, quæ prius effectui dare noluerunt: *Tunc incipient foris stare*, ut testatur Dominus, Luc. XIII. *et pulsare ostium dicentes: Domine aperi nobis. Et respondens dicit, illis: Nescio vos, unde sitis.* Cuius exemplum patet in Chrysaorio illo apud S. Greg. I. IV. dial. c. XXXVIII. qui *inducias vel usque mane* petens non est auditus. Væ igitur prægnantibus in illis diebus, id est, qui bona sua vota et desideria in effectum non deduxerunt, Matth. XXIV.

IV. Tales sunt quibus omnis devotio in externis operibus bonis, ut in orationibus, audiendis missis et concionibus, danda eleemosyna, jejuniis, peregrinationibus, aspero vestitu, ciliciis, habitu religioso consistit, de internis vero, quomodo vitia sua expugnent, seipsos vincant et pravos animi sui affectiones mortificent, nulla sollicitudo est, cum tamen hæc uti magis difficilia ita magis etiam necessaria sint. Tales erant Pharisæi, quos redarguit Dominus, Luc. XI. dicens: *Væ vobis Pharisæis qui decimatis mentham et rutam et omne olus et præteritis iudicium et charitatem Dei: hæc autem oportet facere et illa non omittere*, q. d. hæc uti magis necessaria ante omnia debeatis facere, et illa ut minora non omittere. Parum profuit Pharisæo illi, qui dicebat: *Jejunio bis in sabbato, decimas do, etc.* interim vero superbiam suam non expugnavit. Quemadmodum enim multo plus refert, ut calix et catinus intus sit mundus, quam ut extra sit ornatus, ita multo magis requirit Deus, ut cor a vitiiis purgemus et nos ipsos vincamus, quam ut opera bona externa patremus, pecca-

tis interim subditi. Ratio, quia charitas est fundamentum, in quo extrui muri honorum operum debent. Qui ergo prioris generis opera tantum præstat, orat, jejunat, dat eleemosynam, frequentat sacrum, peregrinationes suscipit, nec studet extirpare vitia sua, similis est ædificanti super arenam (quam parabolam subjungit Dominus hodierno evangelio): *Descendit autem pluvia et venerunt flumina et flaverunt venti et irruerunt in domum illam et cecidit, et fuit ruina ejus magna.* Talis Guilielmus dux Juliensis, qui ut scribit Cæsarius, I. XII. cap. V. in festo nativitatis Domini sub tribus missis tantam audit cantus suavitatem, ut paratum diceret omnia relinquere, si vel semel adhuc eum audire posset. Et tamen interim malus erat, nec peccata sua emendare studuit. Omnes isti malæ et inutiles arbores sunt. Primi prorsus steriles: secundi ferunt folia tantum: qui tertio loco, flores proferunt, non fructum: qui quarto, fructum ferunt, sed parum utilem. Omnibus his dicitur: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur; quod a nobis avertat Deus.*

CONCIO V.

MENDACIUM QUAM SIT FUGIENDUM.

I. Quia intrinsece malum. — II. Quia obest reipublicæ. — III. Quia fidem adimit dicenti. — IV. Quia infames facit. — V. Quia difficile emendatur. — VI. Quia pœna dignissimum.

THEMA.

Attendite a falsis prophetis. Matth. VII.

Libro III. Reg. c. ult. legimus Achab gestentem exire ad præliandum sine causa, congregasse pseudoprophetas quadringentos circiter, interrogasse eos, num exire deberet ad præliandum. Qui omnes ad placitum regis locuti, suaserunt bellum et prædixerunt ei victoriam. Sed Michæas, qui solus tunc propheta Domini remanserat, ad extremum etiam consultus, contrarium vaticinabatur, dicebat enim: *Vidi Dominum sedentem super solium suum et omnem exercitum cæli assistentem ei a dextris et a sinistris. Et ait Dominus: Quis decipiet Achab regem Israel ut ascendat et cadat in Ramoth Galaad. Et dixit unus verba hujuscemodi et alius eliter. Egressus est autem spiritus et stetit coram Domino et ait: Ego decipiam illum, cui locutus Dominus: In quo? Et ille ait: Egrediar et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum ejus. Et dixit Dominus: Decipies et prævalebis, egredere et fac ita.* Porro res ut prædicta erat a Michæa, evenit, vulneratus enim in prælio Achab occubuit. Videtur mihi Achab iste designare mundum, qui et ipse vult

decipi, et mendacium audire, non veritatem. Egreditur ergo spiritus in mundum ut decipiat ipsum in ore hominum mendacium. Et sane videtur his temporibus spiritus mendaciorum prorsus liberatus et in mundum egressus prophetare in ore infinitorum pseudoprophetarum. A talibus ergo nobis attendere debemus, non solum ut ne ab iis decipiamur, sed etiam multo maxime ut ne tales ipsi simus. Prisci Ægyptiorum sacerdotes, quo principem suum monebant, in omnibus semper veritatis habendam esse rationem, sapphirum, qui cælo sereno simillimus et veritati typus est, collo ejus appendebant, ut ejus intuitu, nihil nisi verum diceret, apud Ælian. I. XIV. c. XXXIV. Volo ego eadem gemma collum vestrum ornare. Quæso igitur, patiamini hoc facientem.

I. Mendacium fugiendum, quia intrinsece malum, nec ullo bono fine dishonestari potest, quoniam per se tendit ad deceptionem proximi, adeoque est contra jus societatis humanæ et contra legem naturæ, dictantis non esse fallendum et contra mentem loquendum. Cum enim verba scripturæ, nutus et ejusmodi introducta sint partim a natura, partim ab hominibus ut signa et interpretationes quædam sententiarum nostrarum et conceptuum, manifestum est peccare eum qui illis abutitur nec conformat ea conceptui suo, et aliud per ea proximo significat quam mente gerat. Sic enim illum in errorem inducit velut horologium in se quidem recte ambulans, foris autem perperam horas ostendens. Vidit hoc etiam Aristoteles, IV. eth. c. VII. cum dixit: *Per se autem mendacium improbum est et vituperabile: verum autem probum de laudabile.* Unde imprimis sequitur impossibile esse mentiri Deum, ut ait apostolus ad Hebr. VI. et idcirco Proverb. XII. dicitur: *Abominatio est Dominus labia mendacia.*

Sequitur secundo, omne mendacium esse peccatum, juxta id Eccl. VII. *Nolli velle mentiri omne mendacium.* Jocosum porro mendacium deterius est officioso: perniciosum vero utroque.

Sequitur tertio, mendacium etiam bona intentione factum, esse peccatum: unde non licet mentiri etiam pro laude Dei, ut docet August. ep. VIII. et IX. Quod enim bonum est, ex omni parte bonum esse debet; mendacium autem est secundum se actus malus, naturæ et Dei legi contrarius: unde nec humilitatis causa mentiri licet. Nam Augustinus de verbis apost. ait: *Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator ante quam mentiretis, mentiendo efficeris quod evitaveras.*

Sequitur quarto, non licere mentiri etiam ad vitam tuendam: dicit enim apost. ad Rom. III.

non esse facienda mala ut eveniant bona. Refert Metaphr. apud Sur. 27. april. de Anthimo Nicomediensium episcopo et martyre, qui cum sævientem Maximiani Cæsaris persecutione a viginti satellitibus ad eandem quæreretur, ipsos satellites hospitio excepit, mensamque prælautam eis apposuit ac simul addixit se brevi Anthimum in eorum conspectum adducturum; in medio vero ciborum apparatus exurgens palam prodidit se esse, quem tam studiose quærerent. His illi stupore attoniti ob benevolentiam qua illos exceperat una sponderunt se imperatori renuntiaturus, Anthimum diu quæsitum, non esse inventum. Ille vero contra obtendit se id non permissurum: fas non esse Christiano pro vita cujusquam mentiri. Itaque ultro se captivum illis adjunxit et ad martyrium perrexit. Illustre etiam hujus rei exemplum extat apud B. Hieron. de muliere septies icta, quæ falso accusata de adulterio: «Sexu fortior suo, cum equuleus corpus extenderet, et sordidas fœtore carceris manus post tergum vincula cohiberent, oculis quos tantum tortor alligare non poterat, suspexit ad cælum, et volutis per ora lacrymis: Tu inquit, testis es Domine Jesu, cui occultum nihil est, qui es scrutator renis et cordis, non ideo me negare velle, ne per eam, sed ideo mentiri nolle ne peccem. At tu miser homo (alloquitur adolescentem, de eodem scelere falso accusatum, qui mentitus erat se reum et illam, ut tormenta effugeret, si interim festinas, cur duos interimus innocentes? Equidem et ipsa cupio mori, sed non quasi adultera; præsto jugulum, micantem intrepida excipio mucronem, innocentiam tamen mecum feram. Cum autem consularis duplicari tormenta juberet, una interim ejus vox erat: Cæde, ure, laecera, non feci. Si dictis tollitur fides, veniet dies, quæ hoc crimen diligenter discutiat: postea miserrimi juvenis caput uno ictu amputatum est. Mulieris vero tangi quidem, sed truncari non potuit, ne septies quidem repetito a diversis carnificibus ictu. Ita clam erepta manibus carnificum sanitati restituta est, et libertate a Cæsare tandem donata.» ut fuse prosequitur Hieronymus. Licet tamen interdum veritatem occultare, quando audientes indigni sunt: vel loquens aliisve magnum aliquod periculum incursurus est: alias non, quia Anselmus, in ep. ad Corinth. ait: *Qui veritatem occultat et qui mendacium profert, uterque reus est, ille quia prodesse non vult, iste quia nocere desiderat.*

Sequitur quinto, non licere regulariter uti amphibologiis, quia hoc lædit etiam communiter humanam conversationem. Licet tamen, cum grave aliquod damnum tibi vel alteri ins-

tare videris. Sic Christus dixit se non ascensurum ad diem festum, videlicet publice: ascendit enim, sed occulte; item: *Solvite templum hoc, etc.* Sic Athanasius, quærentibus se ad necem obvians in navi, dixit non longe abesse Athanasium: Abraham dixit Saram, sororem, quæ erat ejus neptis ex parte patris, non matris: Jacob se dixit primogenitum, quia scilicet jus primogenituræ emerat a fratre, etc. Hoc tamen jus tergiversandi non habes in judicio, quando reus es per testium depositionem comprobatus.

II. Quia obest reip. Primo enim, plurimos in errorem inducit et ita humanam conversationem et societatem impedit ac dissolvit, facitque confusionem, qualis fuit in ædificatione turris Babel, ubi uno petente lapidem, aliter loquentem aliter intelligens porrexit lignum, etc. velut si unus interroget Italice, alter respondeat Græce. Unde apostolus ad Eph. IV. ait: *Deponentes omne mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo quoniam sumus invicem membra*. Si enim os petat potum, et manus præbeat cibum, quomodo vivet homo? Secundo, quia multos inficit: ideo forte diabolus sub forma serpentis mendacium invexit in mundum; quia mendacium virus est, quod reip. corpus pervadit. Ut enim moneta prava multos decipit, et ab uno ad alterum transit, ita et mendacium: unde si irascimur, quando falsam monetam deprehendimus in marsupio, multo magis irasci debemus mendaciorum sartoribus. Sane Eccl. XX. dicitur: *Potior est fur, quam assiduitas viri mendacis*, quia hic veritatem, ille nummos surripit. Tertio, quia ordinem in loquendo ita pervertit, ut aliis etiam vera dicentibus sæpe non credamus, vel cum formidine saltem; propterea quod aliquando a mendacibus quibusdam seducti sumus.

Præcipue vero obsunt. Primo, sacrilegium, circa fidem, vel Deum, quale erat illud Cyrolæ episcopi Ariani, subornantes hominem, ut fingeret cæcitatem velut ab ipso illuminandus: quam tamen veram contraxit. Calvinus simili fraude subornantis civem Genevensis, ut fingeret mortem, quam itidem subiit justo Dei judicio. Tales sunt historiæ confictæ in odium religionis veræ, mendacium item, quod dicitur in confessione. Refert Greg. Turon. l. 1. cap. III. adolescentem ægrum in confessione scelus aliquod suum pernegantem s. synaxin trajicere per guttur non potuisse, sed rursus ejecisse (cum tamen alios cibos sumere sine obstaculo) donec revocato sacerdoti, peccatum quod perperam negarat, confiteretur.

Secundo, perjurium, per quod divino adducto testimonio falsum confirmatur, in quo maxima

Deo irrogatur injuria, quasi ratum haberet mendacium, eoque delectaretur.

Tertio, calumniæ et alia perniciose mendacia, quibus innocenti magnum creatur damnum aut molestia: quæ secundum leges recidere debet in caput calumniatoris, et retorqueri in ipsum solet.

III. Quia fidem adimit dicenti, ita ut deinceps etiam vera narranti non credatur, veluti plano illi, qui fingens fractum sibi crus, alienum implorabat auxilium; postea cum vere fregisset, auxiliarem manum imploravit, sed neglexerunt jam decepti credere dicentes: *Tollat te qui non novit te*. Nec vane dixit Sapiens, Eccles. XXXIV. *A mendace quid verum dicitur?* Et Psal. V. David: *Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est*. Id vero proprie convenit illis, qui scientes et volentes, mentiuntur (non ita qui per obreptionem vel præcipitationem loquuntur mendacium) necnon quandoque excogitant mendacia juxta id Jer. IX. *Extenderunt linguam suam, quasi arcum mendacii, docuerunt enim linguam suam loqui mendacium*. Hi enim depuduisse videntur et quidvis dicere audere. Inde etiam ipsi difficulter aliis credunt, quia omnes metiuntur suo pede. Aristoteles interrogatus, quid lucri haberent mendaces: *Ut vera*, inquit, *loquentibus non credatur*, Laert. lib. V. cap. 1. Ab eodem enim ore vera falsaque cum proficiscantur, eamdem censuram merentur. Hanc ob causam noluit Dominus testimonium dæmonum accipere, qui clamabant ipsum esse: *Sanctum Dei, Filium Dei et Christum* tametsi verissimum dicebant, Luc. IV. quia cum dæmones plerumque mentiantur, fidem non merebantur, et facile erat Judæis dicere: Dæmonum testimonium habet, et quid illi nisi mentiri sciunt?

IV. Qui infames facit et odibiles: unde cum de mendacio loqui volumus, veniam petimus verbo, siquidem nemo honoratus probrum mendacii sibi objectum patitur, quia scilicet vile et abjectum peccatum est, et ut S. Dorotheus, serm. IX. ait: *Proles diaboli*, qui mendacii pater est (Joan. VIII.) et mendacium invexit in orbem: quodque mirum, sub larva serpentis. Modo autem in faciem dicere mendacia, multi non erubescunt. Et mirum est, quod nemo audire velit sibi dici: Tu mentiris, interim pronissimus ad mentiendum, idque parvi æstimemus, perinde ac si pejus non habeat si quis dicat: Cadis, quam cum vere cadimus. Certe Persæ tam infame hoc vitium reputabant, ut per omnes ætatis gradus id præcipue suis inculcarent filiis, fugerent mendacium; duo etiam pro grandibus habebant peccatis, debere et mentiri, debere vero ideo: quia qui debent, sæpius men-

untur, Alex. I. II. c. XXV. Herodot. l. I. Hinc viri honesti curam veracitatis etiam in rebus minimis habent, uti Joannes, c. IV. cum dixit: *Erat hora quasi sexta*, ut advertit ibi Cyrillus. Maxime vero dedecet hoc Christianos; idcirco enim præcipit Dominus, ut sine juramento, quicquid asserimus asseramus: eo quod deceat Christianis vel nude asserentibus fidem præbere. Ideo sermonem nostrum voluit esse: *Est est, non non*, Matth. V. Accedit, quod mendaces a prudentibus facile deprehenduntur. Nam: *Ut fauces ferinam gustu deprehendunt, ita sagax animus verba mendacia* ait Ecclesiasticus, c. XXXVI.

Ac licet aliquamdiu latere possint mendaces, non tamen diu. Nam: *Quemadmodum qui putres et ruinam minantes parietes*, inquit Chrysost. hom. LXVII. in Joan. albo tectorio liniunt, non tamen eos possunt dirigere: ita et mendaces facile deprehenduntur, Unde vetus illud: *Mendacium nullum senescit*: et Hebræorum est proverbium: *Veritatem stabiles, mendacium debiles habere pedes*, quia illa semper, hoc parvo tempore durat. Unde licet mendax delectetur et in sinu rideat, dum alterum mendacii circumvenit: brevi tamen confundetur, et vanitas ejus apparebit, cum non poterit verificare, quod dixit. Unde Proverb. XX. dicitur: *Suavis et homini panis mendacii, et postea implebitur os ejus calculo*, q. d. non poterit deglutire hunc panem.

V. Quia difficile emendatur. Alia vitia moriuntur in senectute, non mendacium: et ob id quidam voluit potius esse vinolentum aut luxuriosum filium suum, quam mendacem, ut ait Gerson. Unde veteres mendacium depinxere typo serpentis venenum eructantis et spheræ incubantis, ferreumque diadema in capite gestantis. Sphæra ejus tyrannidem in subditos suos, quos vinculis mancipatos tenet. Patuit in duobus illis senibus, qui perniciosam stropham confixerunt in Susannam, et cum ad judicium rapti essent, nova addunt mendacia ad confirmandum primum, dum alter sub primo, alter sub schino se vidisse Susannam mentitur, Dan. XIII. Patuit etiam in Cretensibus, quos apotolus ad Titum l. vocat: *Semper mendaces*.

VI. Quia pena dignissimum. Primo, punitum est ab hominibus. Demosthenes censebat haud minori supplicio dignum, qui pervertit verba, quam qui nummos falsificat. Claudius imp. (si credimus Spartiano) Phamphili cujusdam Romæ mortui (quia nunquam tota vita sua verum dixerat, sed falsum semper vel mendacium) cada-ver jussit insepultum canibus objici et volucris, ejusdem bona fisco addici, ædes illius dirui, uxorem et liberos procul extra urbem

deportari. Artaxerxes Persarum rex veritatem in suis militibus magnopere exquirebat et mendacium persequebatur. Cum enim unum deprehendisset mendacem, tribus clavibus ejus linguam perfodi jussit. Trajanus imp. filio regis Thraciæ jam reddere decreverat regnum jure patri ablatum, quod toties Romæ reip. rebellasset. Cæterum cum aliquando eum in mendacio deprehendisset, dicentem se a schola reversum, cum in horto existens fructus decerpisset, indignatus imperator sententiam mutavit, sic eum objurgans: *Tamquam mendax indignus es regno: nec decet Romam, matrem veritatis, habere filium mendacem*, sicque ad alios jus regni transtulit.

Denique, vulgo omnes mendacium condemnamus et colapho pensandum asseramus: prorsus eo, imo meliore jure, quo Alexander Macedo Chæriolo poetæ pessimo tot infligi colaphos jussit, quot malos versus fecisset. Quæ lex si observaretur, utique mentiri homines dedicerent.

Deinde, punitum est a Deo; uti lepra in Elisæi famulo, Giezi, qui fædo mendacio imposuerat Naamani et hero suo, IV. Reg. V. in Elyma mago, cæcitate, Actor. XIII. *O plene omni dolo et fallacia fili diaboli*, ait Paulus ad eum, *inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas? Ecce nunc ecce manus Domini super te; et eris cæcus, etc.* in exploratoribus terræ promissæ, subita morte, Num. XIV. Rabbi Salomon ait, quod linguæ eorum quibus detraxerant terræ, inflatæ venenum stillarint, ipsosque ita necarint. Ananias item et Sapphira mentientes S. Petro, subita morte plexi sunt, Act. V. meretricula, quæ mentiebatur S. Gregorium Thaumaturgum rem secum habuisse et pretium meretricii repetebat, a dæmone correpta est, a quo non nisi illius precibus potuit liberari. Simile exemplum alterius meretriculæ mentientis in Daniele Stilitam, et a malo spiritu obsessæ donec veritatem ediceret, scribit Nicephorus, I. XII. c. XLVI. Palladius monachus ut narrat Theodoretus, lib. IV. c. XXVI. falso insimulatus homicidii et per revelationem sciens, verum homicidam esse unum ex accusatoribus; ad cadaver accessit spectante populo et dixit ei: *In nomine Christi libera me et indica quis vere scelus sit operatus*. Tunc mortuus erexit se et circumspectis omnibus indigitavit auctorem verum criminis; et certe sub ejus veste deprehensus est cruentus gladius una cum occisi pecunia. Cogitate quanta fuerit hæc confusio. Num ergo confunduntur mendaces in judicio, ubi coram toto mundo indigitabuntur et mendaces deprehendentur! Tunc enim Deus revelabit pudenda illorum, qui ad instar protoplastorum, foliis mendaciorum velarunt turpitudinem suam. Loquamur itaque non cum pseudoprophetis, sed cum

Michæa, dicamusque: *Vivit Dominus, quia quodcumque dixerit mihi Dominus (conscientia) hoc loquar.* Et sane, tales regno Dei digni sunt. Cum enim quæsisset David: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo,* respondet inter alia: *Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua,* supra dom. IV. post pascha, conc. VI. et de mendacio, vide plura, dom. seq. conc. VI.

CONCIO VI.

QUINQUE PSEUDOPROPHETÆ CAVENDI: MUNDUS, CARO, DEMON, HÆRETICI, DIVINATORES.

- I. Mundus: 1. Promittit vitam, dat mortem. 2. Promittit gaudium, dat mœrorem. 3. Promittit quietem, dat turbationem. 4. Promittit florem, sed dat fugacem. 5. Promittit stabilitatem, et fugit. — II. Caro: 1. Promittit vitam, dat mortem. 2. Promittit gaudium dat tristitiam. 3. Prædicat morbos et mortem immaturam. — III. Dæmon. — IV. Hæretici. — V. Divinatores.

THEMA.

Attendite a falsis prophetis. Matth. VII.

Nautæ, auditores, in vasto mari positi non omni vento credunt atque obsecundant, sed discernunt ventos, quinam sibi commodi, quique sint incommodi; alioquin certo certius aberrarent a destinato portu, et sæpe agerentur in scopulos et syrtes, adeoque in certum exitium. Non minori studio, sed majori longe attendendum est, ne cujuslibet doctrinæ, suasioni et illecebræ aures atque fidem demus in hoc mundo; uti monet S. Joannes, ep. I. c. IV. *Charissimi, nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Primi nostri parentes audierunt vocem serpentis, et seducti sunt, Gen. III. bonus et simplex quidam propheta audiit vocem mali prophetæ, ut prævaricaretur Dei mandatum, et in pœnam a leone occisus est, III. Reg. XIII. audiit Achab rex vocem pseudoprophetarum suadentium sibi bellum ac promittentium victoriam, et in prælio occisus est, III. Reg. ult. Quare cum pseudoprophetæ in mundo varii et multi sint attendite charissimi a prophetis falsis, quorum quinque genera hac concione detegimus.

I. Est mundus, qui quam vana prædicat ac promittat, exponit S. Augustinus, serm. XXXI. ad fratres in eremo cum ait: *O munde proditor, cuncta bona promittis, sed cuncta mala profers: promittis vitam, sed donas mortem; promittis gaudium, sed largiris mœrorem; promittis quietem, sed ecce turbatio; promittis florem, sed cito evanescit; promittis stare, sed cito recedis.*

Ergo primo, promittit vitam et donat mortem. Pollicetur enim homini multos annos et in morbis quantumcumque periculosis convalescentiam et vitam, ad instar illius divitis, qui ad se dicebat: *Anima, habes multa bona, posita in annos plurimos, requiesce, comede, epulare, bibe,* sed audiit vocem Dei: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te, et quæ parasti, cujus erunt?* Quin et beatitudinem liberalissime promittit mundus etiam male viventibus, præsertim in articulo mortis, mortuosque beatos prædicat, similis uxori Sisaræ, de quo absente in prælio talia ominabatur: *Forsitan nunc dividit spolia et pulcherrima feminarum eligitur ei: vestes diversorum colorum Sisaræ traduntur in prædam et supellex varia ad ornanda colla congeritur.* At miser ille tuncolvebatur ante pedes Jahelis, terræ affixus et jacebat exanimis ac miserabilis, Judic V.

Secundo, promittit gaudium, sed dat mœrorem. Sic in die nuptiarum promittit sponsis aureos montes, et dat ferreos. Mundi figura in hoc fuerunt quatuorcenti pseudoprophetæ Achab regis, qui prædicebant illi victoriam, e quibus unus ut persuaderet regi, quæ dicebant, commentus est cornua ferrea in similitudinem tauri, quibus huc illuc discurrens sic loquebatur: *Hæc dicit Dominus: His vantilabis Syriam donec deleas eam.* Sed rex victus et in prælio occisus est, et linxerunt canes sanguinem ejus. Id quod Michæas propheta Domini ei prædixerat, sed a rege non auditus, III. Reg. XXII. Hunc in modum mundus pollicetur sanitatem, honores, divitias, dignitates, victorias, etc. ac si hæc omnia in potestate sua haberet, et, cui vult, largiri posset: sed mentitur furcifer, obtrudens scoriam pro auro, mœrorem pro gaudio.

Tertio, promittit quietem, dat turbationem, dum per adulatores loquitur homini placentia, vitia ejus palpat et excusat, interim vero animam ejus internis doloribus replet; similis malo chirurgo, qui vulnus repente curaturus, carnem ei superinducit, quasi jam sanatum sit, cum tamen adhuc intra cutem maneat et saniem ducat, qua membrum cruciatur, et caro integra corrumpitur. Tales erant pseudoprophetissæ illæ apud Ezech. c. XIII. quibus minatur: *Væ, quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis.* Ita nimirum blandientibus sermonibus molliter cubare facit mundus conscientias, quæ alioquin absque pulvillo illo dure et inquiete jacerent, velut si quis cubito incumbat super mensam aut petram innixo. Unde S. Gregorius, XII. moral. c. IV. ait: *Quisquis male agentibus adulatur, pulvillum sub capite vel cubito jacentis ponit, ut qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudatus non poterit quiescat.* Sed parum proficiunt hi

pulvilli, cito reclamationem et redarguit eos conscientia, unde sequitur perturbatio.

Quarto, promittit florem, qui tamen cito evanescit, dum cultores suos lactat vana spe. Promittit eis liberos, qui bases et columnæ familiæ sint futuri; sed mox hunc rapit bellum, ipsum pestis, tertium carnifex, quartum hospitale, quintum perversi mores in transversum agunt, sextus evadit stupidus et inutile terræ pondus; vel moriuntur parentes, priusquam eos videant puberes. Exemplo est Rachel, Gen. XXXV. quæ cum partus doloribus periclitaretur, consolata est eam obstetrix his verbis: *Noli timere, quia et hunc habebis filium;* sed interim una filium et animam effudit, quem proinde Benoni, id est, filium doloris sui vocavit: sic mundus promittit liberos, sed ii sæpe cito moriuntur, vel pervertuntur, et fiunt parentibus Benoni, filii dolorum. Lactat alios spe hæreditatis et postea alios instituit hæredes, uti facit Q. Cæcilius Lucullo, apud Val. Max. I. VII. c. VIII. Cum enim præ se tulisset semper Lucullum sibi hæredem fore, velut optime de se meritum, præter omnium expectationem instituit Pomponium Atticum, ideoque ejus cadaver a pop. Rom. fune tractum est per viam.

Quinto, promittit stare, sed cito recedit: similis onagro, qui homine conspecto in iisdem stat vestigiis; sed ubi tam prope accessit venator ut cum manu tangere possit, fuga se subtrahit bestia, ut refert Pererius, in Gen. de animalibus in arcam ingressis. Idem mundi est ingenium: multa tibi promittit, sed ubi ea apprehendere volueris, subducit.

II. Est caro, quæ prophetat et promittit homini; primo vitam et felicitatem, si sequatur voluptatem; sed dat mortem animæ, et non raro etiam corporis; siquidem deliciæ, varietas ciborum, ebrietas, sommus longior, Venus immoderata, omnis generis morbos, et molestias, mortemque acceleratam, afferre consueverunt. Qua in re depinxit egregie carnem Jahel illa, Judic. IV. quæ fugienti Sisaræ occurrit blandis verbis: *Intra ad me, Domine mi, intra, ne timeas.* Cum autem ille ingressus in tentorium ejus, potum aquæ ab ea postulasset, aperuit illa utrem lactis, eique bibendum porrexit; quo hausto operuit illum pallio, vel pellibus (ut habent Septuaginta) et somno sopitum, clavo in tempora ejus adacto interfecit. Hunc in modum blanditur caro et objectas delicias ac voluptates veluti dulce lac propinat homini, ita ut gravi quasi veterno correptus, rerum celestium, mortis ac judicii obliviscatur; postea clavo consuetudinis non facile extrahendo terræ affigit, atque ita demum perimit. Facit huc quod Socrates apud Platonem in Phædone ait: « Voluptas

quasi clavum tenens animum corpori conjungit atque affigit, afficitque ut infectus corporea specie, ea putet esse vera quæ suadet corpus. »

Secundo, promittit gaudium et delicias; sed pro iis dat tristitiam et remorsum conscientiæ: propinat enim vinum voluptatis in aureo calice, quod quidem blande ingreditur, sed in fine mordet ut coluber; id quod docuit Salomon, Prov. XXIII. *Ne intuearis vinum, inquit, quando flavescit, dum splenderit in vitro color ejus: ingreditur blande, sed in novissimo mordebit ut coluber.* Vinum hoc carnis voluptas est, quæ sua dulcedine et splendore invitatur ad bibendum, sed dulcedinem compensat sequente amaritudine. Denique, caro delicate nutrita, in morte magis foetet, uti docet B. Petrus Damianus, lib. VII. ep. XIX. ad Blancam, confirmatque exemplis Sophiæ marchionissæ, et ducissæ Venetiarum, quæ tunc recenter mortuæ fetorem intolerabilem exhalabant, eo quod delicate nimis carnem nutritissent.

Tertio, vaticinatur tibi morbos et præpropere mortem si paulo durius tractetur, abstinentia aut verberibus, cilicio vel vigilia. Dicit tibi, quod piger ille Prov. XXII. *Leo est foris, in medio platearum occidendus sum.* Pereundum mihi erit, si per quadragesimam, vel tempore plebotomiæ aut sumendæ potionis abstinendum sit a carnibus, si hiemali frigore durandum in ecclesia, quamdiu res divina durat, etc. Verum non audiendus est hic vates, quia plerumque decipit, et longe plus sustinere possunt vires naturæ quam mentiaturo caro. Audiamus quid hac de re scribat card. Bellarm. vir summæ auctoritatis: « Audi aliquando hominem (inquit conc. XXIII.) quemdam extitisse, qui cum esset domi suæ in deliciis enutritus, fere semper ægrotabat, et vel ipsum aerem metuebat, et nisi cibos tenerrimos, et optimos habuisset, se statim mortuum arbitratur. Is quodam tempore per mare iter faciens incidit in piratas, et ab iis ad triremes alligatus, diu noctuque sine ulla intermissione laborabat: ejus cibus erat panis, isque bis coctus, potus aqua, obsonium verbera. Quis non diceret: Post paucos dies iste morietur? Et tamen post paucissimos menses sanissimus, robustissimus, et pinguis effectus est. » Itaque similis est caro nostra animantibus brutis, quæ nec bonis verbis, nec blanditiis, nec persuasionibus, sed solis verberibus obtemperare didicerunt. Alas equum hordeo, et non laborat per aliquot dies, videbis, si non statim fiat indomitus, et si non calcitrabit, et mordebit cum equitare volueris: equus est caro nostra: quanto lautius nutritur, tanto fit petulantior.

III. Est dæmon, qui terribilissimus pseudopropheta est, utpote mendax et pater omnis men-